

hibet *Chifletius de ampulla Remensi* cap. XV. p. 74. ex quo Ampullæ Remensis forma agnosci potest, atq; illud quoque patet, quod in nummis FRANCIS non GALLIS legatur, adeoque Grammondum hallucinari. Ac ne quis forte suspicetur fieri non posse, ut adhuc idem ampullæ status sit, qui olim, atque incredibile sibi videri dicat, eam ad perpetuos unktionum, per interminatum subsequendum seculorum orbem subinde recurrentium, usus, probabilitatem superstiti etiamnum oleo sacro conciliare student, ac quomodo conservetur extendaturque docent: in quam sententiam *Gvilhelmus Marlottus. S. Nicasii Remensis Prior; Lib. 2. cap. 3.* *Liquor qui Ampulla continetur, non est omnino liquidus, sed tantillum exsiccatus, balsamo concreto similis: dum Reges consecrantur, per Archiepiscopum acu aurea extractus, miscetur Sancto chrismate, illudq; rubore tingit, ut referunt qui adfuere Ludovici XIII. inaugurationi. Tertia parte jam est deminutus liquor, neq; magis. Erravit enim Frossardus, qui in Caroli VI. Regis inunctione scripsit, Ampullam non imminui: decrescit enim portione, quæ ex illa detrahitur. Eam ampullam primatus Regii fontem ducunt Galli, suumq; Regem solum inter universos Reges terræ glorioso præfulgere Privilegio, ut oleo cælitus misso inungatur, digniorem esse omni alio Rege, Regem esse Regum terrestrium, propter cœlestem inunctionem. Unctioni huic ex ampulla Reges Galliæ primatum suum in solidum debere affirmavit. *Gvilhelmus Brito: Dignior, inquit, vere Rex noster Rege omni.**

*Quem sacrare sui Remorum Metropolitæ,
Cum Compresulibus habet chrismate illo sacro
Hoc ad opus solum quod cælica fudit oliva &c.*

Sic